



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Assertio Septem Sacramentorum Aduersus Mart. Lutherum

Heinrich <VIII., England, König>

Parisiis, 1562

Sextvm. Missam recte sacrificiu[m] & opus ab orthodoxis vocari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30233

ticula, In remissionem peccatorū: palam est ob effusionē sanguinis, & non ob eius potationem, promissam esse remissionem peccatorum. Non est igitur missa promissio remissionis peccatorum, quando non ob sumptionem corporis & sanguinis in missa, sed ob eius effusionē quæ iam olim in cruce facta fuit, remissio peccatorum promittebatur. Et hæc opinor sufficienter missa nouum testamentum credatur.

MISSAM RECTE SACRIFICIUM & opus ab orthodoxis vocari.



Vando igitur abunde factis constitit missam haudquaquam testamentum esse, iam sexto loco disquiremus, num queat ipsa sacrificiū & opus dici. Nam

I.

istud & pertinacissimè quidem Lutherus negat, inuincibili (si quis homini credat) argumentatione ductus, nimirū hac. Probauit (inquit) ex verbis Christi missam esse testamentum & promissionem, ideo nō posse opus & sacrificiū dici.

In hoc ariete Lutherus ita spem omnē *Luthe. non*

Contra Capt. Babyl. Cap. VI.

reposit, vt ipsum, robur suum principale, simul & argumentum capitale iactitare nõ vereatur. At quàm imbecillum sit hoc argumentum capitale, quamque nutabundum fuerit hoc principale robur, nemo non perspicit, opinor, qui superiora nequaquam somniculose perlegerit. Nam ex illis apertissimum est, nondum ex verbis Christi constare, missam testamentum esse. Nusquam enim Christus missam testamentum vocat. Nec istud haecenus ostendit Lutherus ex vllis verbis Christi, quæ id plane doceant. Falsum est ergo quòd probauerit ex verbis Christi missam esse testamentum & promissionem. Quamobrem quum nos hoc fundamentum radicitus euulserimus, par est vt reliquam structuram penitus corruisse neuti quã ambigamus, adeo vt iam nihil opus erit pluribus hoc negocium persequi, quòd id ipsum de quo Lutherus vnice confidebat, ita sustulerimus, vt cunctis (opinor) perspicuum sit, id iam nihil habere solidæ veritatis. Quocirca nihil deinceps à nobis iure quisquam exigere potest, quum apertè satis euersum sit Lutheri fundamentum. Sed neque tenemur aduersus hæreti-

cum argumentis ea statuere, quæ commu-
 nis ecclesiæ consuetudo tot annorum cen-
 tenarios approbauerit: quin hæretico po-
 tius incumbit, aut pro sua parte rationes
 usque adeo validas in medium adducere,
 quæ prorsus à nemine reuinci queant, aut
 euestigio dare manus orthodoxis. Nobis
 ergo plus quàm satis fuerit, si docuerimus
 ab initio nascentis ecclesiæ missam pro sa-
 crificio fuisse receptam, atque ab antiquis-
 simis illis patribus, nimirum sanctissimis
 & illuminatissimis viris, vti supremum ec-
 clesiæ sacrificium usurpatam. Quod (opi-
 nor) abunde præstabitur. Neque tamen
 istud solum faciemus, verumetiam idip-
 sum ostendemus esse scripturis & ratio-
 nibus maxime consentaneum. Certe si
 nihil aliud pro nostra parte staret, quàm
 longeva consuetudo, & ea quidem à pri-
 mis ecclesiæ incunabulis, ipsa sufficeret,
 quam nõ sit verisimile, spiritum sanctum
 qui perpetuus ecclesiæ datus est instru-
 tor, tamdiu fuisse passum totam ipsam ec-
 clesiam errare in re tam necessaria cum
 tanto suarum animarum discrimine. Quan-
 tum autem vim habeat antiqua consuetu-
 do, non solum ex his quæ aduersus articu-

*Ab eccle-
 sia appro-
 bata non a-
 poriet rurs-
 sum ratio-
 nibus. sub-
 cire.*

*Argumen-
 tum à sola
 consuetu-
 dine.*

los Lutheri differuimus, constare potest, verū etiam ex authore vetustissimo, nempe Tertulliano, qui libro de corona militis, multa collegit, quæ nulla scriptura, sed consuetudine suum robur obtinent. Quæ itidem consuetudinem idem asseruat ex apostolica traditione manasse. Sed age nunc ostendamus, quòd ab antiquissimis ecclesiæ temporibus missa pro sacrificio sit habita.

II.

Clemens ille, qui fuit & discipulus & successor Petri, in epistola ad cunctos orthodoxos ita scribit: In aliis locis sacrificare & missas celebrare non licet, nisi in his in quibus episcopus proprius iusserit. Ecce & missæ & sacrificij mentionem facit Clemens. Et rursus in altera epistola ad Iacobum: Præcipimus (inquit) ne vnquam ex tero ecclesiæ siue laico de fragmentis oblationum domini ponantur ad mensam. Et item Clemens hoc sacramentum oblationem vocat.

Dionysius item Pauli discipulus capite ecclesiasticæ hierarchiæ sic ait: Oportet igitur nos, vt reor, nudata primæ præcipui intelligentiæ signi, intra sacrosancta transire, diuinamque principalis signi

signi speciem intueri: ac pōtificem augustius cernere à diuino altari vsque ad phari nouissima cum odoris suauitate pergentem, ac rursus ad altare ipsum cōsummandi sacrificij causa remeantem. Et huic, vt videre licet, missa sacrificium est.

Ignatius quoque, qui & contemporaneus apostolis fuerat, in epistola ad Smyrnenses dicit: Firma Eucharistia reputetur, quæ ab episcopo concessa fuerit. Vbi episcopus præsens fuerit, illic & plebs congregetur: sicuti & vbi Christus est, omnis cœlestis militia adest, tanquam principis militiæ virtutis domini. Et ipse est dispensator totius intelligibilis nature. Propterea non licet sine episcopo neque offerre, neque sacrificium immolare, neque missas celebrare. Et is missam intelligit sacrificium.

Hos subsecutus Origenes, vnus item ex priscis ecclesiæ patribus, in commentariis super Iob ita scribit: Hanc itaque pietatis ac religiositatis formam nobis omnibus demonstrans Iob, surgebat mane, & munda-
bat filios, offerens pro eis hostiam secundum numerum illorum. Primò munda-
bat, purificabat, sanctificabat, & ita demum pro eis hostiam offerebat: vt cunctis in per-

condecēs.

I. Cor. II.

petuum ostenderet quia mūdōs & castos
atque sanctos conderent* sacrificia, vt san-
ctē atque dignē immolata, sanctē atq; di-
gnē à sanctis accipiantur. Sic nanque & a-
postolus post hac dicit: Probet seipsum
homo, hoc est, mudet semetipsum, & ita
de sanctissimis domini sacrificiis fruatur.
Hac Origenes, qui & sacramenta corpo-
ris & sanguinis domini sacrificia vocat.

Subscribit Chrysoſtomus homilia. 17.
ad Hebræos ita dicens. Quid ergo nos?
Nōne per singulos dies offerimus? Offerimus
quidem, sed ad recordationem fa-
cientis mortis eius. Et vna est hac hostia,
nō multę. Quomodo vna est, & nō multę?
Et quia semel oblata est illa, oblata est in
sancta sanctorū: hoc autē sacrificiū exem-
plar est illius, id ipsum semper offerimus.
Nec nūc quidē alium agnū, crastina aliū,
sed semper id ipsum. Proinde vnū est hoc
sacrificium: alioquin hac ratione, quoniā
in multis locis offertur, multi Christi sūt.
Nequaquam, sed vnus vbiq; est Christus,
& hic plenus existēs, & illic plenus, vnum
corpus. Sicut enim qui vbiq; offertur,
vnum corpus est, & nō multa corpora: ita
etiam & vnum sacrificium. Pōtifex autem

noſter ille eſt, qui hoſtiam mundantem nos obtulit. ipſam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem conſumi non poteſt. Hoc autem quod nos facimus, in commemorationem quidem fit eius quod factum eſt. Hoc enim facite (inquit) in meam commemorationem. Nō aliud ſacrificiū, ſicut *Luce. 22.* pōtifer: ſed id ipſum ſemper facimus, magis autem recordationem ſacrificij operamur. Hæc Chryſoſtomus.

Aſtipulatur hiſ Damascenus de orthodoxa fide lib. 4. ſic dicens: Hæc eſt pura ſcilicet hoſtia & incruenta, quam ab ortu uſque ad occaſum ipſi offerri per prophetam dominus loquitur: corpus videlicet & ſanguis Chriſti in ſtabilimentum animæ noſtræ & corporis. Hæc Damascenus.

Sed & ſexta ſynodus, quæ magnæ fuit **III.** authoritatis, teſtatur Baſilium adieciſſe quædam ob miſſæ celebrationē. Haſtenus de Græcis.

Ex Latinis verò Tertullianus, qui & erat *Latini doctores afferunt miſſam eſſe ſacrificium.* vicinus apoſtolorum temporibus: Is in eo libro quem de cultu ſcæminarum edidit, mentionem huius ſacrificij facit, obiiciens ipſis ſcæminis nullā eſſe foras progrediendæ cauſam, quæ non ſit grauis & tetrica.

R ij

*Fœmine
quando fo-
ras prodi-
re possint.*

Et tres eiusmodi memorat, utpote aut quum quispiam est fratribus mala valetudine laborat, aut quum dei verbum populo prædicatur, aut quum sacrificium deo sit in templis offerendum. Ecce hic sacrificij meminit Tertullianus quod in templis offerebatur, cuiusmodi nullum apud Christianos est præter missæ sacrificium.

Post hunc imitator eius Cyprianus, in epistola quadam ad Cæciliam ita scribit: Quia in parte inuenimus calicem mixtum fuisse, quæ dominus obtulit, & vinum fuisse, quod sanguinem suum dixit: vnde apparet sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici; nec sacrificium dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio & sacrificium nostrum responderit passioni. Ecce palam vocat sacrificium. Accedit his Hieronymus in epistola ad Hedibiam. Dominus (inquit) Iesus ipse conuiuia & conuiuium: ipse comedens & qui comeditur. Illius bibimus sanguinem, & sine ipso potare non possumus, & quotidie in sacrificijs eius de geminis vitis vergerubentia musta calcamus. Et hic placet Hieronymus per sacrificia missam intelligit. Ambrosius item in lib. de sacramentis. 4. ca. 6.

recēset verba ex canone, quibus plane testatur apud veteres missam pro sacrificio habitā. Sacerdos (inquit) dicit: Ergo memores gloriosissimæ eius passionis, & ab inferis resurrectionis, & in cœlū ascensionis, offerimus tibi hęc immaculatā hostiā: rationabilem hostiā: incruentā hostiā: hūc panē sanctum, & calicem vitæ æternæ: & petimus & precamur, vt hęc oblationem suscipias in sublimi altari tuo per manus angelorū tuorum, sicut suscipere dignatus es munera puēri tui iusti Abek & sacrificiū patriarchę nostri Abrahę: & quod tibi obtulit summ⁹ sacerdos Melchisedech. Hactenus ex canone recensuit Ambrosius.

Demum August. 17. lib. de ciuitate dei cap. 20. sic inquit: Participem autem fieri mensę illius, ipsum est incipere habere vitam. Nā & in alio libro, qui vocatur Ecclesiastes, vbi ait: Non est bonum homini, nisi quod māducabit & biberet: quid credibilius dicere intelligitur, quā quod ad participationē mensę huius pertinet: quā sacerdos ipse mediator testamēti noui exhibet secundū ordinem Melchisedech de corpore & sanguine suo? Id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris

R *iiij*

teris testamenti, quæ immolabatur in um-
bra futuri. Hæc Augustinus.

*Vnanimi
priscorum
sententia
stadium est.*

Vides igitur amice lector, tam ex Græ-
cis, quàm ex Latinis authoribus vetustio-
res huic sententiæ suos addidisse calculos.
Et quid est quod his Lutherus queat obii-
cere quo fidem eis abroget? Nihil penitus.
Neque enim in eis vlla fuit aut ambitionis,
aut avaritiæ, aut malignitatis vel minima
suspicio. Omnino nihil est quod quisquã
possit in istis criminari. Omnes enim eru-
ditione iuxta atque vitæ sanctimonia cõspi-
cui sunt: sed & vnanimi cõsensu rem om-
nes enunciant. At quis hunc cõsensum eo-
rum peccatoribus inspirauit alius, quã vni-
tatis & cõcordiæ spiritus? Cur ergo tot pa-
tribus tam priscis, tam sanctis, tam eruditis,
tantaque concordia rem hanc asseuerantibus,
non erit maior fides adhibenda, quã vni Lu-
thero, vt nihil dicam aliud, quã heri nato, qui

*Lut. in sin-
tu satanae
nititur suo
sensui.*

tam arroganter ab illis dissidet, nulla soli-
da ratione, nullaque scriptura, nisi perperam
intellecta ductus, sed suo sensui suoque spi-
ritui prorsus innixus? Eiusmodi sane pro-
phetis Ezechiel seuerè cõminat, inquit:
Vt prophetis qui sequuntur spiritum suum. Si
Lutherus non suum sequitur spiritum, nemo

Ezech. 13.

vnquam secutus est, quū neminē patrum
quantūuis doctissimū, quantūuis probatissimum
pro suo sensu nō contēnat, imō simul
reicit & aspernatur cunctos. Et quid
illū ad hāc amentia perduxit, nisi pessimus
ille dissensionis & discordiē spiritus? Nā ut
sanctissimos illos patres diuin^o ipse spirit^o
concordes affluit, ita non est dubiū quin
spiritu diabolico (qui semper dissensio-
nis author est) Lutherus ad hanc agendā
in ecclesia tragœdiam sit afflatus.

Quod si forte cuipiā ista quæ produxi-
mus, parū sufficiant, sed desyderet adhuc
ex ipsis apostolis testimonia quædā, is p-
fecto nō satis æquus videri possit, quū in-
iuria temporum deperiisse credibile sit, si
quid hac de re scripsissent apostoli. Tamē
ex eorū actis, quæ per maiorū nostrorum
diligentiā hactenus reseruata sunt, abūdē
liquet quod quærimus. Nam in actis An-
dræ sic is traditur ad Egeam respondisse:
Omnipotenti deo, qui vnus & verus est,
ego omni die sacrifico, nō thuris fumum,
nec taurorū mugientiū carnes, nec hirco-
rum sanguinē, sed immaculatū agnū quo-
tidie in altari crucis sacrifico: cuius carnes
posteaquā omnis populus credentiū man-

R. iij

IIII.

Contra Capti. Babyl. Ca. VI.

ducauerit, & eius sanguinē biberit, agnus
qui sacrificatus est, integer perseuerat &
uiuus. In Matthæi quoq; vita sic habetur:
Quumq; celebrata ab apostolo missa, vnus
quisque ad propria remeasset, apostolus
iuxta altare remansit. Affirmat & sexta sy-
nodus, Iacobū domini fratrem modū quen-
dam celebradæ missæ tradidisse. Sed & o-
pinio constans est, Petrum Antiochię pri-
mam celebrasse missam.

*Modū cele-
brandi tra-
didit Iaco-
bus.*

V.
*Missæ asse-
ritur esse
sacrificium
ex actis pō-
sificum.*

Cæterum quicquid de iis fuerit, in pon-
tificū item actis res hæc satis est dilucida.
Nā in decretis Anacleti qui Clemēti pxi-
me successit, 2. ca. sic habet: Episcop⁹ autē
deo sacrificās, testes secū habeat, & plures
q̄ alius sacerdos. Sicut enim maioris hono-
ris gradu fruit: sic maioris testimonij in-
crementatione indiget. In solennioribus
quippe diebus, aut septem, aut quinq; aut
tres diaconos qui eius oculi dicuntur, &
subdiaconos, atq; reliquos ministros secū
habeat, qui sacris induti vestimētis à frōte
& à tergo, & presbyteri è regione dextra
læuaq; contritoq; corde, & humiliato spi-
ritu, ac prono stent vultu custodientes eū
à maleuolis hoībus, & cōsensum eius præ-
beāt sacrificio. Peracta autē cōsecratione,

omnes communicēt, qui noluerint eccle-
siasticis carere liminibus. Sic enim & apo-
stoli statuerunt, & sancta Romana tenet
ecclesia. Ecce hic affirmat episcopū deo sa-
crificare: & missam appellat sacrificium.

Et Alexāder quoq; qui Anacleto proxi-
mē successit vno duntaxat intermisso, sic
scribit in decreto suo: Ipsa veritas nos in-
struit. calicē aut panē in sacramento offer-
re, quādo ait: Accepit Iesus panē, & bene-
dixit, deditq; discipulis suis, dicēs: Accipi-
te & māducate. hoc est enim corpus meū,
quod pro vobis tradet. Similiter postquā
cenauit, accepit calicem, dedit discipulis
suis, dicēs: Accipite & bibite ex eo omnes,
quia hic est calix sanguinis mei, qui p vo-
bis fundetur in remissionē peccatorū. Cri-
mina atq; peccata oblatiis his domino sa-
crificiis delentur. Iccireo & passio eius in
his cōmemorāda est, qua redēpti sumus: &
sæpius recitāda, atq; domino offerēda. Ta-
libus hostiis delectabitur & placabitur do-
minus, & peccata dimittet ingentia. Nihil
enim in sacrificiis maius esse potest, q̄ cor-
pus & sanguis Christi. Nec vlla oblatio
hac potior est, sed hæc omnes præcellit:
quæ pura cōscientia est domino offeren-

Matth. 26.

Marc. 14.

Lucæ. 22.

da, & pura mente sumenda. Hactenus Alexander primus.

VI.

Concilia generalia asserunt missam esse sacrificium.

Nicænum concilium.

Complures item alios ex pontificibus memorare liceret, qui in decretis suis missam vocant sacrificium: sed hos duntaxat hic duximus inferendos, quod ex primis erant, & ipsis apostolorum temporibus vicini. Subscribunt etiam huic veritati concilia plurima: sed vnum huc adduxisse satis fuerit, Nicænum videlicet, in quo fuerunt episcopi decem & octo supra trecentos. Verba concilij sic habet: Peruenit ad sanctum magnumque concilium, quod in quibusdam locis & ciuitatibus Presbyteris gratiam sacræ communionis diaconi porrigant: quod nec regula nec consuetudo tradidit, vt ab iis qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Christi corpus accipiant. Ecce concilium, quod & apud omnes orthodoxos maxime semper authoritatis fuit, affirmat sacerdotes iure sacram Eucharistiam offerre, quam potestatem diaconis aperte negat. Et vbi quæso talem oblationem faciunt sacerdotes alibi quam in missa? Quæ ergo tot episcoporum subscriptiones, vel si nihil aliud esset, ad huius rei fidem non adigeret? Missam

igitur ab exordio nascentis ecclesie fuisse pro sacrificio semper usurpatam, oibus omnium patrum suffragiis apertissime constat.

Iam & scripturis consentaneum esse VII. monstremus, quod missa dicatur opus & sacrificium. Et quanquam scripturae perparum hac de re loquatur, in his tamen paucis non nihil lucet, quod ad hanc rem aperiendam abunde sufficiat.

Negat Lutherus ideo missam opus & sacrificium dici, quod promissio quaedam sit adiecta signo in pane & vino: quorum utrumque nobis datur, nempe tam verbum promissionis, quam signum in pane & vino. Quamobrem & usus utriusque (ut ipse videri vult) nequit in offerendo aut operando, sed solum in recipiendo & patiando consistere. Atqui nos ex ipsis scripturis haec apertissime falsa esse, paucis docebimus.

Principio dilucidum est ex ipsis Pauli verbis, non solum dari nobis missam, ut Lutherus astruere conatur, verumetiam aliud quiddam nostro officio fieri, quum dicat: Quotiescunque manducaueritis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis donec veniat. Ecce dicit, annunciabitis mortem domini,

1. Cor. 11.

Ecce dicit, annunciabitis mortem domini,

donec veniat. Nec istud Paulus de priuata sumptione voluit intelligi, sed de ea qua fit in publico conueto. pramissit enim: Quum conuenitis in eundem locum. In conuentu igitur publico vbi sacrosancta ista mysteria tractantur, ac panis & vinum in corpus & sanguinem Christi consecran-

Mors Christi representatur in sacramento altaris.

tur, iam representatur & annunciat dominica mors, & eius in cruce sacrificium. Quare non solum donari nobis hoc sacramentum, verum etiam eodem sacramento Christi mortem & sacrificium (quod idem in cruce pendens obtulit deo patri) per nos representari manifestum est. Quid enim est aliud, annunciare mortem domini, quam sacrificium illud crucis representare? de quo Paulus alibi loquitur dicens:

Eph. 5.

Tradidit semetipsum pro nobis oblationem ac victimam deo in odorem bonae fragrantiae. Quam quidem oblationem & victimam ipse procul dubio voluit per hoc sacramentum a nobis representari, ut quem admodum ille seipsum in cruce pro nobis immolauit patri, ita nos pariter corpus eius & sanguinem in hoc sacramento iugiter immolemus. Non igitur vsus sacramenti solum in recipiendo & patien-

Vsus sacramenti con-

do

do consistit, sed etiam in annunciando & representando Christi mortem, & crucis sacrificium. Adde, quod si missa non sit aliud quam promissio, neque præterea quicquam operis complectatur, frustra Paulus ingeminasset hoc, facite, semel enim post panis consecrationem ex ore Christi subiecit, Hoc facite in mei memoriã. Et iterum consecrato calice subdit, Hoc facite quotiescunque biberitis, in mei memoriã. Sed neque Lucas hoc ipsum tacuit pane consecrato. Mox enim adiecit, Hoc facite in mei memoriã. Quid toties inculcant hoc verbum, facite, non aliter quam ab ipso Christo pronunciatum, si missa tantum sit promissio, neque secum operis quicquam inuoluat? An vllum quæso verbum operatione & opus magis exprimat, quam hæc vox facite? Nullum profecto. Quando igitur missa non sit, nisi quod Christus mandauerit faciendum, id ipsum sacerdos opere compleuerit, omnino dilucidum est, non posse nisi ab impudentissimo negari, opus aliquod nostrum ad missæ substantiam exigi. Certissimū enim est, si nemo post Christum hactenus consecrasset, neque id fecisset quod Christus fecit post cœnam,

*sistit in ex-
nunciatio-
ne & re-
presentatio-
ne mortis.
Christi.
I. Cor. II.*

*IIII
Luce. 22.*

by 1111 3

certissimum (inquam) est, nunquam ab eo tempore missam fuisse. Quare quum aperte constet ad missæ cōsistentiam opus nostrum exigi, palā est missam non esse promissionem solam. Liquet igitur ex Pauli Christique verbis, missam citra nostrum opus haudquaquā fieri. Liquet & missam non esse promissionem solam, quum promissio rata maneat absque nostro opere, missa verò sine opere nostro nō habeatur.

VIII.

3. Cor. 5.

Ad hæc, Paulus quum dicat, Pascha nostrum immolatus est Christus: an non planè discriminat pascha nouum à veteri, & nostrum, hoc est Christianorū, à Iudaico secernit? Plane profecto docet Iudæorum pascha sic ad Christianorum pascha se habere, quemadmodum figura se habet ad veritatem, & ad corpus vmbra. Quamobrem vt illorum pascha legalis agni sacrificium fuit, ita nostrum, hoc est Christianorum pascha, veri agni sacrificium est. Et quāquam is verus agnus in cruce pro nobis fuerat immolatus, non in cruce tamen edebatur, sed in altari duntaxat. Et agnus item ipse verus, nempe Christus Iesus, qui in cruce passus fuit, in altari quoque sit nostrum pascha. Neque duo tamen pa-

Primum pa-

schata sunt, aut duo sacrificia, sed vnum
 pascha, vnumque sacrificium: quando qui-
 dem alterum alterius est repræsentatiuū.
 Nam in vtroque verus & idem agnus est
 Christus Iesus, qui vt olim in cruce per
 mortem fuerat immolatus, ita nunc & im-
 molat quotidie, nimiuū vt apud nos mor-
 tis Christi memoria quotidie renouetur.
 Sed & quum de mensa domini, & de
 mensa dæmoniorum loquatur Paulus, *1. Cor. 10.*
 tandem rem satis euidenter insinuat. Sic
 enim scribit: Videte Israël secundum
 carnem. Nonne qui edunt hostias, parti-
 cipes sunt altaris? Quid ergo? dico quòd
 idolis immolatum sit aliquid? aut quòd
 idolum sit aliquid? Sed quæ immolant gē-
 tes, dæmoniis immolant; & non deo. No-
 lo autem vos socios fieri dæmoniorum.
 Non potestis calicem domini bibere, &
 calicem dæmoniorum. Non potestis mē-
 se domini participes esse, & mensæ dæ-
 moniorum. Est ergo ratiocinatio Pauli
 hæc: Sicut qui victimas iuxta legē veterē
 immolatas edebant, participes effecti sunt
 altaris, & cōsortiū quoddā inibāt cū eo cui
 sacrificabātur ipse victime, ita fit & passim
 ubi tales victimæ cuius offerūtur, siue deo

*scba est qd
 tunc Chri-
 stus obsu-
 lit, & mo-
 do sacer-
 dos.*

seu dæmonibus. Nam vt in mensa dæmoniorum dæmonibus oblationes fiunt, & quisquis ex eis ederit, consortium habet cum dæmonibus: ita & in mensa domini quod immolatur, immolatur domino: & qui talibus oblati vescitur, communionem inquit cum domino. Quamobrem omnino cauete ne gustetis quicquã ex his quæ dæmonibus immolantur. Nolim enim vos consortes esse dæmoniorum: cuiusmodi certe si fueritis, communionem domini crederitis, quum non potestis vnã participare esse & mensæ domini, & mensæ quoque dæmoniorum. An non Paulus hic plane docet, quòd quemadmodum in mensa dæmoniorum qui participes fiunt eorũ quæ illic dæmonibus offeruntur, consortium cum ipsis ineunt dæmoniis: ita & qui in mensa dei communicant oblati istis victimis, consociationem quandã ineunt cum deo: Quòd si quis neget hunc esse sensum argumentationis Paulinæ, is plane non aduertit quid hac argumentatione Paulus efficere conatur. Molitur enim his verbis Paulus, quod omnes qui in mensa domini sumimus Eucharistiam, eius corpori pariter ac sanguini communicamus.

Nam

Nam proximè superius admonerat Corinthios, quatenus fugerent ab idolorum cultura: & mox rationem subdit: Quoniã Christo communicamus per victimã carnis & sanguinis sui, quibus in eius mensa vescimur. Et istud qua ratione probat? Quoniam (inquit) vt carnales Iudæos victima quam offerebant, ipsos effecit participes altaris, ita & victima quæ vel in mensa domini, vel dæmoniorum offertur, aut illius aut istorum constituit participem. Dilucidum igitur est ex Paulo, corpus & sanguinem domini victimam esse & sacrificium oblatum in mensa domini.

His accedit, quòd in scripturis plerumque de sacerdotio nouo secundum ordinem Melchisedech mentio facta sit, & quod Christus secundum ordinem illum sacerdos fuerit, sæpius asseritur. Quod si verum sit, oportuit aliquando Christum in pane & vino sacrificasse, quæadmodum & Melchisedech in eis sacrificasse traditur. At nusquam id fecisse legitur præterquam in cœna quãdo sub specie panis & vini sacramenta sui corporis & sanguinis instituit. Quãobrem & in cœna verè sacrificauit, verumque patri suo sacrificium obtulit. Et quo-

niam apostolis, ut id ipsum postea iugiter
 facerent, mandavit, eosdem etiam voluit
 ad eum ritum sacrificare. Nec ab illis du-
 taxat, sed ab eorum item successoribus, quod
 diu foret ecclesia duratura, sacrificium istud
 similiter offerri voluisse credendum est.
 quum iam huiusmodi sacrificio non minus
 egeat ecclesia, quam apostolorum tempo-
 ribus indigebat. Quamobrem & hodie
 quoque sacrificium istud extare dilucidum est.

Hebr. 7. Super hæc, quum Paulus ad Hebræos
 testetur vetus illud sacerdotium quod se-
 cundum ordinem Aaron fuerat, iam pro-
 fus antiquatum esse, oportet apostolorum
 successores, qui iam novæ legis sacerdotes
 sunt, sacrificium aliquod habere quod re-
 spondeat ordini Melchisedech: quæ ordi-
 nem & deus pater æternum fore iureiurando
 confirmavit. At nihil eiusmodi palam est in
 ecclesia reperiri, præter hoc augustum & in-
 primis adorandum corpus & sanguis
 Christi sacrificium, quod in omnibus ec-
 clesiis omnipotenti deo per sacerdotum
 manus iugiter offertur. Id enim apertissi-
 me non solum illam oblationem, quam solitus est
 offerre Melchisedech, verum etiam ipsum
 sacrificium summè colendissimum, quod in ara

crucis Christus pro nostris peccatis obtulit, repræsentat. Quamobrem & manifestè scripturis consentaneum est, quòd missa dicatur & opus & sacrificium.

Præterea, nulla vnquã lex absq; sacerdotibus, neq; sacerdotes vnquã absq; sacrificio fuisse leguntur. Nam & in veteri lege, quæ nostræ legis (quã nouã dicimus) umbra fuit, erant sacerdotes & sacrificia, quibus & in hac noua lege similia quædã oportet respõdeãt. Nam iussus est Moses omnia facere secundũ exemplar quod in monte sibi monstratũ fuit. Et quanquam Christus summus noster põtifex templũ non manufactum, nec sine sanguine semel sit ingressus, nos tamen qui sacerdotes inferiores sumus, ociosos esse nõ decet, sed in altaribus istis quæ in atrio sunt, hostiã oportet aliquã immolemus, quæ pro peccatis & nostris & alienis satisficiat. Quũ igit nulla talis assignari possit pter hostiã & sacrificiũ corporis Christi, planè colligitur missã vel ob id maximè sacrificiũ dici oportere. Nã pter missã nihil habem⁹, quod iuxta Lutheri rationẽ à nobis queat offerri. Quicquid enim nostrũ est, sordet, & indignũ est qđ offerat. Quicquid verò

*In omnile
ge fuit sa-
crificium.*

Exod. 25.

Hebr. 9.

Contra Capti. Babyl. Ca. VI.

dei fuerit, id à nobis accipitur, & nobis ab ipso datur, v. susque eius (si Luthero credimus) in recipiendo & patiando. consistit, non in offerendo & operando. Quamobrem quum omnia vel nostra sint vel dei, nihil omnino relinquitur nobis quod offeramus deo. Neq; enim dei dona (vt Luthero visum est) possumus offerre: sed nec opus aliquod nostrum est, quod offeramus, quum quicquid eiusmodi fuerit, immundum & sordidatum sit, auctore Luthero. Denique nos ipsos si moliamur offerre, quum carere nequeamus peccati fomite (quem & Lutherus verè peccatum esse contendit) sacrificium nostrum non potest non impurum esse. At sacrificium quo placatur deus, oportet omni macula carere. Quare quum tale nihil apud nos haberi potest præter ipsum in primis venerandum missæ sacrificium, superest vt hoc ipsum apud Christianos sacrificij loco potissimum habeatur.

Corollarium.

Quo fit vt quisquis hoc sacrificium ab ecclesia tollere molietur, nihilo minorem ei iacturam intentet, quàm si mundo solè eripere studuerit. At quispiã dicet: Luthero nihil est discriminis inter plebem & sa-

cerdotes. Fateor, Lutherus ita dicit: at scri-
pturæ discriminant inter utrosque. Quid
enim aliud Paulus cap. 3. 1. ad Corin. agit,
quū dicit, Dei cooperatores sumus, dei a-
gricultura estis, dei ædificatio estis? Sacer-
dotes, dei cooperatores vocat, plebē verò
cēset agriculturæ, ædificationemq; dei.
Num in his nihil esse discriminis quisquā
audebit asserere? Plebs ad modū agri sa-
cramentis vitalibus excolitur, neq; minus
eadē salutaribus documētis ædificatur. In
quo opere tametsi Paulus deo primas par-
tes tribuat, se tamē & cæteros cōmystas
suos, nimirū sacerdotes, deo facit coope-
rarios. Quamobrē & quū sub Christo pō-
tifice summo plures cōperiantur esse mi-
nores sacerdotes, quemadmodū in veteri
lege sub maximo pōtifice minores erant
haud pauci qui plebis curā agebāt: cōsen-
taneū est vt & illis pariter deputatum sit
quoddam sacrificij genus, quo pro pecca-
tis tam suis q̄ alienis deo satisfieri queat.

Nam etsi redemptio illa in cruce semel
facta sempiternum habeat vigorem, non
tamen singulo cuiq; peccatori virtus eius
accōmodatur, nisi per media quædā. quod
nec Luther⁹ ipse negabit. Nā etsi Christus

*Tacite ob-
iectionis dē
lutio.*

*Sacerdotes
à plebe dī-
stans.*

*X.
Passionis
Christi per
sacramen-
ta efficiuntur
participes.*

*Participā
redemptio-
nis fieri
quid sit.*

*Sacrificare
quid sit.*

pro peccatis omnium abolendis mortuus sit, nemo tamen huius abolitionis participans euadit, nisi qui crediderit, & sacris ecclesie mysteriis submiserit sese. Hoc est ergo participem fieri redemptionis illius semper stantis, credere videlicet, & sacramentis ecclesie quemlibet rite initiari. Huius autem initiationis ministros quosdam oportuit designari, quos & sacerdotes vocamus, quorum est & hoc altaris offerre sacrificium: quod quoties faciunt, etiam crucis ipsius & mortis referunt sacrificium.

His accedit, quod quum sacrificare nihil aliud sit, quam sacra facere: ubi sacra sunt, illic sacrificatio sit oportet: atque per locum a coniugatis consequitur & illic agi sacrificium. At palam est ex scripturis, mandasse Christum, ut haec eadem quae ipse pridem in cena fecerat, ipsi faceremus. Quae certe quum non sint prophana, sed sacra, & nos eius iussu sacra facimus. Quamobrem & monitore Christo, quoties panem & vinum consecramus, toties & sacra facimus, ac sacrificamus, omninoque sacrificium agimus. Et quis hominum est, qui quum de sacerdote quopiam audierit eum fecisse sacra, non protinus eundem intelligit missae sacrificium obtulisse?

Manifestum igitur est, id tam rationibus quam scripturis cōsentaneum esse, quod missa dicatur opus & sacrificium.

Sed ut dicere cōperam, Luther^o missā ideo testamētū & promissionē esse cōtendit, quatenus inde facili^o colligere queat, nec op^o eā esse, nec sacrificiū. Quod si Lutherus iā primū hoc missæ vocabulū reperisset, liceret pro suo arbitrio vocē eā interpretari: neq; valde reluctarer, si quid ipso vocabulo vellet intelligi, nobis aperte definiret. At quū non heri & nudius tertius (ut aiunt) sed ab ipsius ecclesiæ p̄t̄mis vnguiculis hoc vocabulū vsurpatū sit, omnino temerariū & ipudēs fuerit, aliā ei definitionē adhibere, q̄ quæ mēti & sensui illorū qui primū eā vocē instituerūt, conquadret. Quādo igitur priores patres omnes quotquot de missa locuti sint, ipsum missæ vocabulū pro opere & sacrificio cōcorditer vsurparūt, improbissimum fuerit, illi definitionem vllam accommodare, quæ a patrum dissentiat institutis.

Ex ipsis verò patrum traditionibus a-
pertissimum est, missam non rē vnam sim-
plicem esse, sed multas in se complecti.
Complectitur enim missa, multa verba sa-

XI.

*Missæ vo-
cabulū om-
nes antiquē
pro sacrifi-
cio vsur-
pant.*

*Missæ rē
cōplectitur
multas.*

Contra Capt. Babyl. Cap. VI.

era, tam ea quæ Christus post cœnâ protulit, quàm cætera quæ per apostolos & viros apostolicos ad eius sacrificij decorem adiecta sunt. Complectitur & verborum ipsorum ratiocinationem, sine qua nihil omnino fit. Per hanc enim de pane fit corp^o Christi, simul & de vino sanguis. Quamobrem & hæc recitatio non aliter ad missæ substantiam exigitur, quàm quod maximè. Hæc etiam prolatio si per idoneum ministrum super pane vinoque fiat, iam corporis & sanguinis cõsecratio est. Quamobrem & panis ac vini præsentia ad hoc vt missa peragatur, necessaria est. Complectitur insuper & representationem mortis Christi, atq; ita per missæ sacrificium annunciat aliud, nimirum illud quod in cruce Christus pro nobis olim obtulit. Complectitur item preces & commendationes tam viuorũ quàm mortuorum, quemadmodum in vetustissimis patrum traditionibus apertissimũ est cernere. Complectitur demum & mutuam incorporationem tam Christi nobis, quàm nostri Christo, quæ non tam efficaciter sola fide fit, quàm per hanc realem corporis & sanguinis Christi sumptionem.

Hæc inquam omnia missa complectitur, ut nequeat vna simplex res dici, sed multiplex.

Meritò igitur sic describi missa poterit. Missa est cæremonia seu functio sacerdotis, dum in altari conficitur eucharistia, simul & Christi crucifixi sacrificium annunciat. Sicut enim paschalis agni cæremonia seu religio (quæ sane res non paucas exigebat) phase vocabatur, id est trástitus: sic & eucharistiæ conficiendæ cæremonia missa dicta est. Porro quantum ad etymologiam spectat, parum refert vnde deductam hanc missæ vocem putes, an ab emitendo, an à demittendo, aut à promittendo, aut demum (ut nonnullis placet) a transmittendo, de qua re postea nonnihil dicemus. Interim istud ad rem pertinet annotare, quòd sicut phase, quâquam omnes autores transitum interpretentur, alij tamen aliam huius transitus considerationem faciunt: (nã quidam ideo transitum dici volunt, quòd tunc populus ex Aegypto versus terram sibi promissam transferit: alij verò placet ut dicatur transitus, quòd tum transferit angelus per domos Aegyptiorum, eisdem percussis)

XII.

Missæ definitio.

Missæ unde de derivatur.

Phase trástitus.

Contra Capt. Babyl. Cap. VI.

IIIX
sic & missæ vocabulum originem variam habere potest. Sed quorsum ista? Nimirum vt intelligamus argutiam Lutheri qua missam colligit non esse sacrificium, esse merum sophisma. Sic enim argutatur: Missa promissio est, sacrificium autem res est; non est ergo missa sacrificium. At sic de phase quivis pariter argutari poterit: Phase transitus est & motus quidam, non autem res: at agni sacrificium res est: non est ergo phase sacrificium. At qui tali sophismate uteretur, nonne protinus exhiberetur & exploderetur ab omnibus, quum in scripturis tam aperte neque semel phase vocetur sacrificium?

II. Cor. 5.

Paulus utique dicit: Pascha nostrum immolatus est Christus. Et quando precor sacrificium istud edimus potius, quam ubi sumimus eucharistiam? Quamobrem & eucharistiae consecratio, verè sacrificium est, quum illud olim in cruce factum sacrificium, eucharistia palam referat. Merum itaque sophisma est: Phase transitus est & motus: sacrificium res est: non est ergo phase sacrificium. Et eiusmodi profecto Lutherus se nunc sophisticam præstat, quum sic arguteretur, quemadmodum infra non se-

mel facit: Missa promissio est, sacrificium
 autē res est, nō est ergo missa sacrificium:
 sicut neque promissio quæ in verbis con-
 sistit, res esse potest. At istud sophisma ne-
 mo diluet apertius, quàm si nouam istam
 ceremoniam cum illa veteri conferat, &
 vocabulum huius cum illius componat
 vocabulo. Nam & ad ceremoniã illã ve-
 terem exigebatur multa, nō solùm agnus
 qui debebat immolari, verumetiã panes
 azymi, pariter & agrestes lactucę, q̄ post
 quàm agnus assus esset, vnà cum agni car-
 nibus ederetur: postes item & superlimi-
 naria domorum, agni sanguine necessum
 erat obliniri. Multa quinetiam vetabatur,
 ne videlicet aut crudū, aut aqua coctum
 ederent, nēve caput aut pedes amputarēt
 à corpore. Nō nihil verò promittebatur,
 nimirum quòd à plagis quibus afflige-
 rentur Aegyptij, tuti forent ipsius agni
 comestores. Quis non perspicit hanc
 veterem ceremoniam, nouę nostrę
 ceremoniæ qua verum agnum immo-
 lamus, ferme per singula respondere, non
 aliter quàm vmbra aliquã suæ rei, figu-
 rãque clarissimę veritati? Propter quod &

Exodi. 12.

Exodi. 12.
 Exodi. 12.
 Exodi. 12.

Contra Captiuita. Babyl. Cap. VI.

Matth. 26. Christus postquam in coena veterem il-
Marci. 14. lam agni typici compleisset: nouam aliam
Luca. 22. protinus instituit caeremoniam, qua seip-
sum verum & immaculatum agnum ob-
tulit. Obtulit inquam gratis actis patri:
simul & oblatum vnà cum discipulis suis
comedit: iussitque quatenus hanc cae-
remoniã exercerent in memoriam suae
mortis, qua sanguis suus in remissionem
peccatorum effunderetur.

XIII. Eat iam Lutherus, & obganniat Missam esse promissionem, nec ob id sacrificiũ esse posse. Nihilo certè magis ipsum audiem⁹, quàm si de veteri caeremonia sic argutaretur: Phase transitus est, & ob id non potest esse sacrificium. Sicut enim phase vocabulum à tráitu fuerat imposi- tum illi veteri, sic & nunc huic nouae caeremoniæ, Missa vocabulum inditum est à missione. Fuerunt vtrique qui missam ab emissionem vocatam existimarunt, quòd tum emitterentur catechumeni, quum sacerdos esset sacrorum mysteriorum confectione aggressurus. At aliis placet à demissione sic dictam, nimirum ob id quòd à patre tũ ad nos hostia ipsa viua demittatur è coelis. Aliis visa fuit à transmissio-

*Missa vo-
cabulũ vn-
de dictum.*

ne vocari, quòd per sacerdotem, qui mediatoris vice fungatur inter deum & homines, preces & vota simul & oblationes deo transmittantur. Nonnulli verò censent à remissione missam appellari, quòd ea finita populus ad sua remittatur.

Et quanquam in Etymologia vocis ita variant, nemo tamen repertus est qui negaret missam sacrificium esse, quoad iam tandem exortus sit Lutherus, qui ceu novitatis auctor, ne videatur quenquã priorum imitari, Missam promissionem facit, quòd in ea promittatur remissio peccatorum. Neque nos negamus promissionem remissionis peccatorum in missa recensitam esse, & per missam item præstari, quatenus missa crucis annunciat sacrificium, in qua sanguis effundebatur in remissionem peccatorum. Et quid prohibet missam ita nomenclaturam suam à promissione remissionis peccatorum accepisse? Neque enim istud impedit quo minus ipsa missa dicatur sacrificium. Vtcunque fuerit, istud haud dubiè compertissimum est, missam concorditer à patribus creditam & habitam fuisse pro summo sacrificio: sed hos Lutherus arrogantissimè

Contra Capt. Babyl. Cap. VI.

*Regis ver-
be.*

contemnit. In quare profectò Rex homi-
nè scite simul & acute fallissima perpun-
xit acrimonia. Vnus (inquit) Lutherus
perspicuè videt missam non esse sacrifi-
cium, nec oblationem. Mirum est, ex tot
sanctis patribus, ex tot oculis, quot in ec-
clesia tam multis seculis idem legerunt
euangelium, nullum fuisse vnquam tam
perspicacem, vt rem tam apertam depre-
henderet, imò omnes etiamnum tam cœ-
cos esse, vt nec adhuc quidem queant id
quod cernere se Lutherus iactat, quan-
quam ipso monstrâte, perspicere. An non
Lutherus hallucinatur potius, & aliquis
se videre putat, quod non videt, & digno
conatur ostèdere, quod nusquã est? Hac-
tenus ipse Rex, non minus verè quam
elegantè, quibus verbis apertissimè do-
cet, non esse Luthero contra tot sanctissi-
mos pariter & eruditissimos patres fiden-
dum in hac hærese, qua cœset missam non
esse sacrificium, nisi dogma suum scriptu-
ris vsque adeo manifestis comprobauerit,
vt nemo vel pertinacissimus queat
contradicere.

Epilogus.

Vides itaque lector, quanto consensu
traditum sit à patribus, missam & opus &

sacrificium esse. Ab illis (inquam) patribus, qui tam eruditione quam vitæ sanctimonia, ceu totidem astra, fulserunt in ecclesia dei. Sed & usu tot seculorum, ab ipsis videlicet Ecclesiæ crepundiis comprobatum, neque id solum, verum etiam scripturis & rationibus omnino consentaneum. Lutherum verò contra nihil attulisse pro sua hæresi fulcienda præter meras nugas, & inania commenta. Contorsit enim scripturam illam cœnæ dominicæ tam violenter in partem suam, ut nemo non intelligat iniuriam Christi verbis illatam, atque id temerrimè.

Cæterum quia disputatio nostra de vocabulo missæ iam agitur, non abs re fuerit huc citare quid amicus noster Ioannes Capnion vir in omni literatura celebratissimus, hac de re scripserit. Sic enim in rudimentis quæ pro linguæ sanctæ notitia digessit, sub dictione **DD** tradidit. **DD** (inquit) munus personale, collecta, tributum, &c. Et paucis interpositis ita subdit: Inde venit per additionem **l** litteræ in fine **DDl**, id est oblatio quæ fit superiori domino propter debitum munus personale. Deut. 16. Oblationem sponta-

Capnion.

neam manus tuæ, quam offeres iuxta benedictionem dei tui. Quod nomen nos Christiani sacrificio nostro impositum retinuimus vsque ad hoc tempus, vt à nobis appelletur missa, quod à Grecis λειψία.

Missæ dicitur hebræa est.
Roffensis.

Nota igitur quod missa neque græcum neque latinum est, sed hebraicum, sicut etiam pasha neque græcum neque latinum extat, sed ab Hebræis mutuatum. Hactenus ille. Ecce lector audis hic missæ vocabulum neque græcum neque latinum esse, sed hebræum, quemadmodum & pasha. Audis & Hebræis idem oblationem dici, quæ fit superiori domino propter munus debitum personale. Audis & scripturæ locum ex Deuteronomio citatum, quo vocabulū ipsum מִסָּח, hoc est missa, per interpretem oblatio spontanea vocatur. Audis & idem vocabulū ab Hebræis mutuatum, hactenus apud nos Christianos vsurpatum esse pro sacrificio nouo, hoc est, pro illo quod antiquatis Mosaicæ legis sacrificiis, in lege noua successit. Audis denique, Latinis hoc ipsum dici missam, quod græcis est liturgia Et sanè prescorum Hebræorū complures (quemadmodum in libello quem pro sacerdotio stabiliendo

stabiliedo cōtra Lutherū edidimus, aper-
tū est) affirmāt futurū Messię tēporib⁹, vt
iuxta ritū sacerdotij Melchisedech in pa-
ne & vino sacrificetur. Quāobrē & hi plu-
rimum astipulātur Capnioni nostro pari-
ter & scripturæ, quæ **חֶבֶד** vocabulū in-
terpretatur oblationem. Sed & Malachias
meo iudicio rem istam haud obscurē pro-
didit. Nam haud multo posteaquā sacer-
dotib⁹ Iudeorū exprobrauit q̄ panē pol-
lutū obtulissent in altari: *Offertis (inquit)* *Malach. 2:*
super altare meū panē pollutū: nō multo
post subinfert: Non est mihi voluntas in
vobis, & munus non suscipiā de manu ve-
stra. Ecce hic munus panis per sacerdotes
Iudeorum oblatis, prorsus auersatur deus.
Sed iam aduerte quod nā aliud à gentibus
oblatū, se suscepturū pollicetur. Ab ortu
(inquit) solis vsque ad occasum, magnum
est nomē meū in gētibus, & in omni loco
sacrificatur & offertur nomini meo obla-
tio munda. Quenā precor est hæc obla-
tio munda, nisi panis ipsius qui de cælo
descēdit, hoc est corporis Christi sub spe-
cie panis ī Eucharistia? Nā quicquid aliud
à nobis proficiscitur (si Luthero credi-
mus) impurum est, & panno menstruatæ

Argumen-
tum ad bo-
minem ex
Luthe. sen-
tia.
Ioan. 6.

I

Contra Capti. Babyl. Cap. VI.

sordidius, nimirū ob peccatū (vt ille ait) quod in nobis residet cōtinuo. Quo fit vt nullum omnino sit opus nostrum (si Luthero fidem habeamus) quod peccato careat. Quamobrē neque nō pollutum esse potest, quicquid est operis nostri. Hec iuxta Lutheri sc̄i etiā & h̄eresin dicimus. Verum cœlestis iste panis, quē sacrificamus deo, nihil habet impuritatis, sed est immaculatum sacrificium, & idem iugiter in omnibus ecclesiis per totum Christianismum immolatur. Sicut igitur oblatio panis, quē super altare Mosaicum sacerdotes veteris legis offerebant, iā plane spreta est & contēpta prorsus à deo, ita sacrificium panis quod super altaria nomini Christi dicata per sacerdotes nouæ legis iugiter offertur, acceptum erit, & magnopere gratum. Quis non itaque iā exploratissimum habet, istuc omnia cōquadrare, nimirū vt missa verè dicatur sacrificium? Verissimum equidem est, quod Ethnicus quidam ait: Omnia vero consonant. Nam huic sanè veritati cōsentiunt omnia. Subscribit enim cum primis receptissima totius ecclesiæ consuetudo. Eandē itē comprobant sanctissimorum iuxta & doctissi-

morum patrum omniū calculus. Scriptu-
 rarum etiā authoritas eidem astipulatur.
 Sed & infensissimi Christiani nominis
 aduersarij, huic plane suffragantur, quan-
 doquidē suis libris testatur palā, quod ceteris
 abrogatis veteribus sacrificijs, hoc
 solum quod iuxta ritum Melchisedech in
 pane vinoque fit, vsu perpetuo celebra-
 bitur. Sed hæc in libello quem diximus,
 fufus & apertius continentur.

STROPHAE QVAEDAM
 & mendacia cauillique Luthe-
 rani deteguntur.

Cap. VII.

Nunc igitur septimo loco
 quibus strophis, mendacijs,
 sycophantijs, argumenta
 Regia refellere conetur, ex-
 pedemus. In simulat primò
 Regem vnicam rationem attulisse, nimi-
 rum hanc: Si missa nō esset opus bonum,
 laici nihil pro ea tribuerent clericis tem-
 poralis beneficij. Nec hoc mendacio cō-
 tentus, tandem post multa conuicia sub-
 dit: Memento lector, ab assertore Rege
 nullam aliam afferri rationem pro missa
 sua, quam istam. At vtrumque profectò

T ij